

dicendum est; non enim est sensus, Ordinationes factas ab hæreticis, si substantialia omnia servantur, non esse ratas, sed esse prohibitas, et sic ordinatos esse ab usu Ordinum rejiciendos. Legatur de hac re Petrus Damianus, epist. 15, cap. 31.

11. Secundo sequitur, assertionem positam non solum de sacramentis, sed etiam de effectibus sacramentorum veram esse. Itaque minister, quantumvis iniquus vel hæreticus, sicut confert verum sacramentum, ita etiam dabit sacramenti effectum, si suscipiens non ponat obicem. Quod omnes Scholastici docent, hanc quæstionem tractantes, et præsertim bene explicuit Alens., 4 part., quæst. 16, membr. 3, art. 1; tradit etiam expresse August., lib. 2 contra Litter. Petil., cap. 6 et 47, tract. 5 in Joan. Et quamvis hoc de effectu non sit sub his terminis tam expresse definitum, tamen omnino certum est et necessario sequitur ex principiis fidei. Et primo quidem de effectu characteris res est clara; nam ideo baptismus datus ab hæretico iterari non potest, quia characterem indelebilem imprimit. Atque idem est de sacramento Ordinis vel confirmationis. Rursus de effectu gratiæ regula fidei est, sacramenta dare gratiam non ponentibus obicem, ex Concil. Trident., sess. 7, can. 6 et 7; sed sacramenta data ab iniquis ministris sunt vera sacramenta; ergo dant effectum, si suscipiens non ponat obicem, cujus exemplum evidens est in parvulo baptizato ab hæretico, nam si statim moriatur, sine dubio salvabitur, alioqui vel rebaptizandus esset a Catholico, priusquam moreretur, ne periret, vel maneret omni remedio destitutus; utrumque autem absurdissimum et hæreticum est; ergo non solum recipit sacramentum, sed effectum sacramenti et sanctificationem, quia nimirum non posuit obicem; ergo idem est de quocumque alio non ponente obicem, etiam si minister sacramenti iniquissimus sit. Denique propter hanc causam diximus in superioribus, per se loquendo non augeri aut minui effectum sacramenti propter bonitatem vel malitiam ministri, et ibi ostendimus hanc esse sententiam antiquorum Patrum.

12. Tertio colligi ex dictis potest, veritatem hanc non solum in sacramentis legis novæ, sed etiam in sacramentis legis naturæ et veteris habere posse locum; quanquam enim non sit tanta certitudo, quia nonnulli dubitarunt, præsertim de sacramento legis naturæ, et nihil in hoc est hactenus definitum, tamen sine dubio hoc est probabilius, quia

rationes adductæ eamdem vim habent in omnibus sacramentis, et in omni tempore a lege; præterquam quod hæc est expresa sententia Augustini, ep. 203, et lib. 2 cont. Litter. Petil., c. 72, et lib. 4 cont. Cresc., c. 31. Sine causa igitur quidam moderni contrarium affirmant de sacramento circumcisionis, nimirum non fuisse validum ab infideli collatum, eamque opinionem attribuunt antiquis Theologis in 4, d. 1, et Alens., 4 p., q. 1, memb. 7, ad 2, et quæst. 6, mem. 3, art. 3. Cui opinioni favet Cano, relect. de Sacram. in gen., p. 5, ubi inter alias hanc differentiam constituit inter nova et vetera sacramenta, quod illa sanctificant ab infideli ministrata, hæc vero minime. Sed imprimis Cano non explicat, an tale sacramentum esset validum, sed solum loquitur de effectu; poterat autem sacramentum esse validum, quamvis non sanctificaret, ut patet in adulto ponente obicem; quod ergo absque fide ministri non esset verum sacramentum, prorsus sine fundamento dicitur, et contra debitam sacramentorum institutionem, ut ex omnibus adductis a paritate rationis facile ostendi potest. Si autem sacramentum erat validum, sine causa negatur, non fuisse in illo datam sanctitatem non ponenti obicem, quia ille effectus non nitebatur in merito aut fide ministri, sed in Dei promissione et meritis Christi prævisis. Nec refert, quod dici solet, in circumcisione, vel sacramento legis naturæ, non fuisse datam gratiam, nisi ut erant signa protestantia fidem Christi venturi. Nam hoc intelligendum est, non de fide ministri, sed de fide Ecclesiæ, ut supra explicatum est. Quod vero Cano ait, tunc fuisse datam gratiam ex misericordia, et non ex justitia, nunc vero dari ex justitia et merito Christi, non est simpliciter verum, nam respectu nostri, etiam nunc datur ex misericordia; respectu vero Christi, etiam tunc dabatur ex justitia. Neque antiqui auctores aliquid diversum docent ab his quæ diximus, si attente legantur.

13. Prima objectio. — Superest ut fundamentis contrarii erroris satisfaciamus. Et primo quidem Episcopi Africani multa ex Scripturis objiciebant, ut illud Eccles. 34: *Ab immundo quis mundabitur?* et infra eod. c.: *Qui baptizatur a mortuo, quid proficit lavatio ejus?* et illud Psalm. 140: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*, et similia, quæ latissime prosequitur August., libris citatis, contra Donat. scribens. Respon-

detur tamen ad primum testimonium, minister sacramenti non mundare virtute sua, sed virtute Christi, qui per illum operatur, non ut immundus seu peccator est, sed ut homo est, quo utitur, ut instrumento suo, et ideo potest minister sanctitatem, quam ipse non habet, alteri dare, quia non ut principalis, sed ut instrumentalis causa operatur. Ad secundum Augustinus, 2 contra Cresc., c. 24, in verbis illis: *Qui baptizatur a mortuo*, per mortuum idolum intelligit, et interpretatur illa verba scripta esse adversus cæremonias gentium, quæ inutiles erant et sine fructu; idem vero Augustinus, lib. 6 de Bapt., c. 34, eundem locum attingens, et prædictam expositionem tacite referens, inquit: *Quid sit a mortuo baptizari, sine præjudicio diligentioris ejusdem Scripturæ considerationis, alibi jam diximus*. Diligentius ergo textum illum considerando, videtur litteralis sensus esse, particulam illam, *a mortuo*, non significare habitudinem ad causam efficientem, seu ad ministrum, sed ad terminum a quo; ita ut sensus sit, qui baptizatur, ut mundaetur ab immunditia, quam contraxit ex contactu mortui, et iterum tangit mortuum, nihil ei prodest ablutio. Unde sermo ibi potius est de cæremoniis, quibus Judæi in lege veteri utebantur, ad immunditias legales detergendas, ut constat Num. 19; sub hoc autem exemplo, dirigitur proloquium illud in eos, qui nunc in peccatis dolent et ea confitentur, paulo autem post ad ea redeunt, ut notavit Greg. exponens illa verba Ps. 50: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus?* et lib. 9, ep. 39; et in eodem sensu citat hoc testimonium Casarius, hom. 9, et ex ipso contextu est manifestus; nam imprimis verba ipsa non integre citantur ab Afric. Episc.; sic enim habent. *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit mortuum, quid proficit lavatio illius?* omittebant enim illa intermedia verba, *et iterum tangit mortuum*, quæ aperte explicant sensum prædictum. Deinde statim exemplum prædictum accommodat Sapiens, dicens: *Sic homo, qui jejunit in peccatis suis, et iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se?* Ad tertium de oleo peccatoris respondetur, sermonem ibi esse de oleo ablutionis, et applicari etiam potest ad oleum turpis voluptatis, de quo legi potest Augustinus, ep. 120, de Gratia novi testamenti, cap. 31.

14. Secunda objectio. — Secundo objici potest can. 45 Apost. qui sic ait: *Episcopum, aut presbyterum, hæreticorum suscipientem*

*baptisma, damnari præcipimus; quæ enim conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli?* Responderi potest primo, non dici baptismum hæreticorum baptismum Christi ab hæreticis ministratum, sed alium ab hæreticis inventum, in quo illi suos errores miscent, mutando formam vel materiam, et adjungendo ritum aliquem veritati sacramenti contrarium. Secundo, si hunc canonem intelligamus de baptismo Christi dato ab hæretico, pœna illa non fertur in eos, qui tale baptismum, postquam datum est, tanquam verum sacramentum recipiunt, sed in eos Episcopos vel presbyteros, qui hæreticos admittunt ad sacramenta ministranda. Hoc enim semper prohibitum fuit, non quia talia sacramenta invalida sint, sed quia sacra ministeria non sunt indignis committenda.

15. Tertia objectio. — Tertio, objectio confici potest ex variis Patrum sententiis, quæ partim sunt de sacramento ipso, partim de effectu. Primo ergo Cyprianus acerrimus fuit defensor contrariæ sententiæ, in quo illud est difficile, quod non solum eam simpliciter docuisse, sed etiam contra definitionem Stephani Pap. pertinaciter asseruisse videtur, nam ep. 74 ad Pomp. sic inquit: *Quæ mihi ad litteras meas Stephanus frater noster rescripserit, misi tibi rescripti ejus exemplum, quo lecto, magis ac magis errorem ejus denotavi, qui hæreticorum causam contra Christianos, et contra Ecclesiam Dei asserere conatur*. Multaque similia adversus Pontificis sententiam in sequentibus scribit. Ista tamen Stephanus epist. quam ibi commemorat, non extat; videtur autem Stephanus scripsisse definiendo Pontificia auctoritate. Scribit enim Augustinus, lib. 5 de Bapt., c. 23, Stephanum in ea epist. non solum Cypriano non consensisse; verum etiam contra scripsisse, atque præcepisse. Unde, c. 25, de Cypr. sic scribit: *Illam, quæ in Stephanum irritatus effudit retractare nolo, quia non opus est, eadem quippe esse dicuntur, quæ jam satis discussa sunt, et ea præterire melius est, quæ periculum perniciosæ dissensionis habuerunt*; et subdit: *Stephanus autem et abstinendos putaverat, qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem convellere conarentur*. Significat ergo Stephanum excommunicasse eos, qui contrariam sententiam tuerentur. Atque idem indicat Euseb., lib. 7 Hist., c. 4, qui addit Dionys. Alexand. hoc ægre tulisse, et ad Sixtum P. scripsisse, considerandam esse rei magnitudinem, quia non quicumque (inquit) sed permagni, et nobiles

*inter Episcopos viri sunt, quibus hoc visum est.*

16. Secundo favere videtur contrariæ sententiæ Athan., serm. contr. Arrian., circ. med., ubi baptismum ab Arrianis datum vanum et inutilem, et speciem tantum baptismi, atque inane simulachrum vocat; et postea subjungit: *Sicut creatura diversum quid est a Filio, ita diversum quiddam est, quod ab illis dari existimatur, tametsi nomen Patris et Filii, quia illa in Scripturis vident, simul se nominare. Non enim, qui simpliciter ait, Domine, is est, qui legitimum tribuit baptismum, sed qui nomen exprimit, et fidem rectam habet, ideoque Salvator, non quovis modo baptizandum præcepit, sed prius dixit, Docete, deinde, Baptizate, ut ex doctrina recta fides crearetur.*

17. Tertio, Gregor. Nazian., Orat. 40, licet doceat, peccatorem posse esse baptismi ministrum, hanc vero doctrinam his verbis limitat: *Dummodo non aperte condemnatus sit et ab Ecclesia alienus; et infra: Quivis tibi initiator est, qui modo eadem fide informatus sit.* Unde fit conjectura nostram sententiam non fuisse in Concil. Nicæn. definitam; præsens enim fuit Athan., et Gregor. Nazianz. postea scripsit, et Basil. etiam, qui tamen in ep. 4 ad Amphil., can. 4, licet in sententiam catholicam inclinet, non tamen ut certam, sed ut dubiam eam amplectitur, dicens: *Quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est, propter multorum æconomiam et dispensationem, eorum baptismum suscipi, suscipiantur.*

18. Quarto, de effectu sacramenti sic loquitur Ambr., lib. de His qui initiant., cap. 4: *Non sanat baptismus perfidorum, sed polluit.* Sic etiam Leo Pap., in citat. ep., negat baptizatos ab hæreticis suscipere sanctificationem, sed solum ac nudum sacramentum. Atque eodem modo Augustinus, contra Donat. scribens, sæpe dicit eos errasse, non distinguentes inter sacramentum, et effectum sacramenti. Nam ex eo, quod hæretici non possunt dare sanctificationem, inferebant, non posse dare sacramentum, cum tamen prius verum sit, posterius autem falsum, ut ex August. colligi potest, l. 3 de Bapt., c. 17, l. 5, c. 21, 22 et 24, et l. 6, c. 4.

19. *Ad Cyprianum.* — Ad Cyprianum dixerunt quidam (ut Augustinus refert epist. 48), Cyprianum revera nunquam sensisse, nec docuisse sacramentum datum ab hæretico nullum esse, aut baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos, sed hoc illi fuisse ab hæ-

reticis impositum ejusque scriptis insertum. Sed merito Augustinus responsum hoc incredibile judicat, nam ex antiquissimis Patribus et historiis, et ex scriptis Cyprian. fere evidentissime constat, illum in ea sententia fuisse. Neque ejus sanctitati vel auctoritati derogat, quod in re nondum aperte definita, recta intentione, ac religionis zelo errare potuerit. Negari tamen non potest, quin in prædicta ep. aliquantulum excesserit, ut significavit etiam Augustinus, d. lib. 5 de Bapt., cap. 25, ubi ad eum excusandum subjungit: *Quamvis commotus, sed tamen fraterne indignetur, vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut in tali disceptatione, nullum inter eos malum schismatis oriretur;* et similia habet, l. 2, cap. 6. Unde intelligitur Steph. Papa, neque definivisse, neque contra sententiam Cyprian. aliquid absolute præcepisse. Et propter hanc causam Vinc. Lir. ita de hac controversia loquitur: *O rerum mira conversio! auctores ejusdem opinionis catholici, consecutores vero hæretici judicantur, absolventur magistri, condemnantur discipuli, conscriptores librorum filii regni erunt, assessores vero gehenna suscipiet. Nam quis illud Sanctorum omnium et Episcoporum, et martyrum lumen, beatissimum Cyprianum cum ceteris collegis suis, in æternum dubitet regnaturum cum Christo? Addit tandem Augustinus, lib. de un. Bapt., c. 43, si Cyprianus in hac causa aliquid purgandum habuit, ultima passionis falce fuisse sublatum; et epist. 48, dicit, non incongruenter de tali viro credi, quod ante mortem se correxerit, et sententiam mutaverit. Quam etiam mutasse Episcopos African., qui prius in suo Concilio subscripserant, significat Hier., in Dial. contr. Lucif.; auctor etiam lib. de Card. Christ. oper., qui Cyprian. tribuitur, cap. de Baptism. Christ. sententiam catholicam apertissime docet.*

20. *Ad Athanasium.* — Ad Athanasium respondetur, non negare sacramentum ab Arrianis datum esse validum, nam potius dicit Arrianos versatos esse in magno periculo amittendi baptismi integritatem, et veritatem. Non ergo sentit baptismum Arrianorum hoc ipso, quod ab hæreticis ministrabatur, fuisse nullum, alioquin non diceret eos versatos esse in periculo amittendi baptismum, sed simpliciter amisisse illum; sed sentit, quoniam illi errabant in fide Trinitatis, facile potuisse committere essentiali defectum, aut in forma, aut in debita intentione baptizandi. Ac præterea in citatis verbis non

de valore sacramenti loquitur, sed de effectu, qui est sanctificatio, quam non consequuntur qui ab Arrianis baptizantur, illis nimirum consentiendo in fide et errore; et hoc sensu dicit, tale baptismum esse vanum, et infructuosum, ut magis in sequentibus explicat. Neque est alia mens Gregor. Nazianz.; non enim prohibet, sumere baptismum ab hæretico, quia non possit ab illo fieri verum sacramentum, sed quia non debet ab indigno ministro sumi, et quia semper prohibitum fuit cum hæreticis communicare, præsertim in rebus sacris; loquitur autem Nazianz. per se ac regulariter, non vero de casu extremæ necessitatis. Quapropter ex horum Patrum testimoniis, nihil colligi potest de definitione Concilii Nicæni. Basilium vero in eo loco sine dubio non existimavit, sententiam catholicam suo tempore fuisse certam aut ab Ecclesia definitam; quare fatendum est, aut definitionem Concilii Nicæni non fuisse omnino expressam, aut Basilium latuisse, nam canones illius Concilii, etiam vivente Athanasio, fuerunt ab hæreticis magna ex parte corrupti vel occultati.

21. *Ad alios Patres.* — Ad alia testimonia quarto loco posita dicendum est, sensum illorum Patrum eundem esse, quem in Athanasio explicuimus, scilicet hæreticos non posse dare sanctificationem per baptismum his, qui eo animo et spiritu ab eis baptizantur, ut cum eis in errore vel schismate convenient, quod est verissimum, et in universum affirmari potest de quolibet pravo ministro, si ille, qui ab eo sacramentum suscipit, cum eo in malitia vel sacrilegio communicat, nam tunc suscipiens ponit obicem effectui sacramenti, quæ est propria et proxima ratio non recipiendi effectum, non vero quia minister careat potestate illum conferendi; et hoc insinuavit Augustinus, lib. 2 contra Parmen., c. 48, ubi concludit, neminem conjungi cum infideli, nisi qui talia facientibus favet, et iniqua vel agit, vel approbat; et lib. 4 de Bapt., c. 2, dicit eum qui in extrema necessitate sacramentum ab hæretico accipit, catholice, sancte, atque adeo fructuose accipere, quod etiam expresse docet, lib. 6 de Bapt., c. 5. Et juxta hæc explicanda est quedam alia locutio, qua sæpe Augustinus utitur in lib. contra Donatist.; dicit enim potestatem remittendi peccata datam esse Ecclesiæ, quatenus ex justis et sanctis constat, qui loquendi modus potest erroneum sensum inducere, si quis intelligat solos ministros, seu sacerdotes

justos posse remittere peccata, quod absolute loquendo falsum est; nam sive sacerdos sit iniquus, sive justus, fidelis vel infidelis, potest remittere peccata, si suscipiens non ponat obicem, et minister potestatem jurisdictionis in eum habeat, si de sacramento pœnitentiæ sit sermo. Sensus ergo Augustini est, nemini remitti peccata, nisi quatenus charitate conjungitur Ecclesiæ, quæ ex justis et sanctis constat, propter quam data est potestas ministris sacramentorum; et ideo dicitur illi specialiter data, et minister dicitur operari specialiter, ut hujus Ecclesiæ minister, cui per charitatem conjungit eos, quos per sacramenta sanctificat, eisque peccata remittit.

22. *Quarta objectio.* — Quarta objectio esse potest, quia hæreticus non est membrum Ecclesiæ; caret enim fide, quæ est primum vinculum membrorum Ecclesiæ; ergo non potest operari, ut minister Ecclesiæ; nam corpus non operatur, nisi per membra sua; ergo non potest conferre sacramenta, nam ministri sacramentorum operantur ut ministri Christi, et Ecclesiæ. Rursus, ubi non est vera Ecclesia, non possunt esse vera sacramenta; nam sacramenta soli Ecclesiæ Christi data sunt; sed inter hæreticos non est vera Ecclesia; ergo nec vera sacramenta; ergo illa, quæ ipsi conficere tentant, non sunt vera sacramenta. Respondetur ad priorem partem, licet hæreticus non sit membrum Ecclesiæ, quoad substantiam (ut ita dicam) seu formam constituentem tale membrum in esse membri Ecclesiæ, nihilominus quoad ministerium se gerere ut Christi ministrum; nam Christus, non solum per membra sibi conjuncta, sed etiam per abscissa operatur, eisque utitur in suæ Ecclesiæ utilitatem; et hoc sensu ait Augustinus, lib. 4 de Bapt., c. 40, Christum assistere hæretico homini conferenti sacramentum juxta ritum ab ipso institutum, propter ipsius ministerii et sacramenti sanctitatem. Ad alteram partem, negatur propositio assumpta, nam licet sacramenta soli Ecclesiæ data sint, possunt tamen ab his, qui sunt extra Ecclesiam, impie atque injuste usurpari; et ideo vera sacramenta extra Ecclesiam inveniri possunt, quamvis ubicumque sint, potius dicenda sint sacramenta Ecclesiæ, quam hæreticorum, sicut Evangelium etiam dici potest proprium Ecclesiæ, quia illi datum est, et nihilominus inter hæreticos reperiri potest verum Evangelium, inique tamen usurpatum ac male intellectum.